DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,
EXHIBENS
SUCCINCTAM SEXUS POTIORIS SECUNDUM STATUM N. ET P. N. SPERMATOLOGIAM.

QUAM
AUSPICIO ATQUE DUCTU NUMINIS DIVINI CLEMENTISSIMO,
RECTORE UNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO IGNATIO DE GUDENUS, J. V. D.
INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGUNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJUSDEMQUE PER THURING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,
CONSENSU GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ IN HAC PERANTIQUA HIERANA,
SUB PRÆSIDIO
DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,
CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGUNT. FACULT. MEDIC. PRO-DECANI, SENIORIS, ET PATHOLOG. ATQUE PRAX. PROF. PUBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DUCAL. ISENAC.
PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,
PRO GRADU DOCTORIS
INSIMULQUE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS HUIC DIGNITATI COMPETENTIBUS LEGITIME ADIPISCENDIS,
PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBMITTET
AUTOR ET RESPONDENS
GOTTFRIED Trauſchcke / *Görlizenſ. Hexapolitanus,*
AD DIEM XXI. JULII ANNO M DCC XXV.
IN AUDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSUET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

PROŒMIVM.

SI quod unquam oculis noſtris conſpiciendum datur objectum, in quo divina ſeſe exactiſſime manifeſtavit ſapientia, mirabilia & ſtupenda præſtitit omnipotentia, atque conſiderandam ſeſe hominibus obtulit veneranda ſummi Numinis majeſtas, ſane *Generationis* & *propagationis* noſtræ actus ille abſtruſus erit, quem qui altius rimari cœperit, neque aptius neque dignius inveniet, quod meditetur ſecumque perpendat, eo magis quod conſideratio ejusmodi intimior, caſta præprimis atque pudica mente inſtituta, ineffabilem partim voluptatem, partim utilitatem eximiam afferre poterit, dum homini, juxta Ciceronem, nihil excellentius, quam eò redire, unde profectus eſt, eoque perpetua animi agitatione reflecti, unde vitæ ſuæ accepit primordia. Tota namque & ingens corporis noſtri moles, inſigni oſſium, velut totidem tignorum numero ſuffulta, car-

tilaginibus, ligamentis, nervis tendinibusque ferme innumeris connexa & ſuſcipiendis motibus variis idonea reddita, non niſi ex *ſemine* quadantenus informi prodiit initio, & exinde mirando artificio fabricatum novimus, quod præbeat concinnum animæ rationali habitaculum, corpus. Miramur locum, deſpectum quidem, ſed artificioſiſſime ſimul pro peragendo opere hoc eximio conſtructum: Miramur materiæ ſpermaticæ ſimplicitatem, quæ tanto labore inter tenerrimos ſubtiliſſimorum vaſorum anfractus elaboratur, & tam ſolicita cura a principio corporis noſtri activo aſſervatur, atque in uſus deſtinatos impenditur, ſi quidem neceſſitas ita poſtulaverit, ut vel exinde totius generationis negotii dignitatem atque præſtantiam perſpicere queamus. Hæ igitur, pluresque aliæ circumſtantiæ ad intimiorem perſcrutationem nobiliſſimi hujus fluidi, in ſexu potiori, ſeminis nempe, animum meum incitavere, cumque inſuper pro impetrandis ſummis in Medicina honoribus, ex more recepto, ſpecimen aliquod inaugurale impræſentiarum a me requiratur, placuit ſpermatologiam juxta ſtatum naturalem & præter naturalem adornatam paucisque pagellis incluſam, L. B. ſiſtere, annexa tamen humaniſſima precatione, ut ſingula non ſolum in bonam partem interpretari, ſed &, ſi forſitan præter intentionem de rebus atque partibus illis, quas Natura ipſa occultare ſatagit, juſto liberius diſſerere auſus fuerim, omnia mente oculisque verecundis aſpicere & ponderare velit, memor iſtius vulgati: *Qui animum non affert impurum, nunquam auferet infectum.*

Po-

Poſtremo ſummum Numen ſupplici veneror corde, velit & in eo gratia ſua mihi clementiſſime adeſſe, ut, quæ in ſempiternam ipſius gloriam & proximi emolumentum maximopere vergant, nunc quoque proferre valeam.

PARS I.

SEMEN POTIORIS SEXVS IN STATV PHYSIOLOGICO CONSIDERAT.

Th. I.

NOn prolixius immorabimur criticæ vocubulorum explicationi, cum vulgata omnino ſatisque cognita illa ſunt, ac propterea quilibet primo ſtatim intuitu innoteſcit, qualis proprie materia ſub tituli hujus velamine indigitetur. Etenim *Semen* vel *Serimen* a *ſerendo* ita dictum, variis quidem moris ab Autoribus accipitur, atque improprie magis, modo indolem hominis alicujus in individuo, ubi quemlibet virtuoſum *boni ſeminis* hominem vocant; modo univerſum genus humanum, quod *mortale ſemen* interdum audit; modo etiam cauſam & originem rerum quarumcunque, ſive malæ illæ ſint, ſive bonæ, indicat, dum publicæ pacis turbatores ſæpius *belli ſemina* dicuntur, imo interdum quoque ſcintillas ſilice excuſſas denotat, quas *ſemina flammæ* vocare ſolet Virgilius: Proprio autem ſenſu materiam vel ſubjectum illud deſignat, cujus ope ſub certis circumſtantiis novum aliquod corpus, ejusdem ſpeciei cum priori, communiter producitur, hacque ratione vulgo quidem de granulis & nucleis illis uſurpatur ex quibus in Regno Vegetabili plantæ atque arbores propagantur, atque ſub communi vocabulo der Saame oder Kern derer Kräuter und Früchte nobis veniunt: Strictius vero, de materia quadam mucilaginoſa in corporibus animalium quorumcunque præparata, & ad

ad generationis actum inprimis deſtinata ac neceſſaria, intelligitur, & ad differentiam prioris, *genitale ſemen* vocatur, quam ſi poſtea in ſolo homine conſideramus, ſemen humanum, pro differentia ſexus, diverſum, communiter vocare ſolemus.

Th. II.

Præter jam allegatam vix plures obtinuit, hæc materia, denominationes, niſi quod inter Græcos Σπόρος interdum, ſed rarius audiat, frequentius vero γονὴ aut Σπέρμα. vocatur & in hoc ultimo multi quoque Latinorum Græcos ſecuti ſunt, ita ut ipſum Spermatis nomen retinuerint, eoque ſæpius adhuc, quam conſveto Latino utantur, quod inprimis ab ipſis Phyſiologis noſtris factum eſſe novimus; Germani e contra ſolos Latinos imitati ſunt, atque generale illud vocabulum, der Saame, etiam in ſpecialiſſimo hoc ſenſu immutatum ſervarunt.

Th. III.

Antequam vero ad intimiorem hujus humoris conſiderationem me accingo, utique neceſſarium duco, ut ſuccincta quædam deſcriptio omnium illorum organorum præmittatur, quæ alias elaborationi, aſſervationi, atque tandem ejaculationi ejusdem ſunt deſtinata, & uno verbo partes genitales vulgo vocantur, ut hac ratione ſingula, quæ poſtmodum dicentur, faciliori negotio comprehendi & intelligi queant. Teſtes igitur ſive teſticuli prima merito ſubſellia inter illas tenent, ſuntque corpora illa globoſa, magnitudine & figura ordinarie paulo majus ovum columbinum quoddam referentia, & extra abdomen in ſcroto propendentia: Græcis alias δίδυμοι ſive gemelli audiunt, quia numero communiter bini ſunt, ita ut raro unicus isque major, rarius vero tres vel quatuor reperiantur. Gaudent inſuper ſuis quinque integumentis, quorum primum Scrotum ſive burſa virilis, ſecundum δαρτὸς appellatur, ambo vero ſub nomine communium tunicarum veniunt, quia utrumque teſtem ambire ſolent, reliqua dein propria vocant, quia ſingulos teſtes ſeparatim

cin-

cingunt, ſuntque muſculus cremaſter ſ. elevator teſticuli, tunica vaginalis, quæ vaginæ in modum partes haſce inveſtit, & *albuginea* ab albedine, ſive nervea a craſſitie dicta, ſubſtantiam teſtium immediate cingens ac veluti conſtringens. Inſuper quoque vaſculis omnis generis præditi ſunt teſticuli, venis nimirum & arteriis ita dictis ſpermaticis quæ ab aorta, vena cava & emulgente oriuntur, nervis vero a plexibus pelvis & lumbaribus utplurimum prodeuntibus, ſingulariter tamen lymphatica vaſa ad glandulas meſenterii receptaculo chyli viciniores excurrentia, quoad numerum atque ſtructuram eminent. De reliquo propriam harum partium ſubſtantiam optime Regnerus de Graaf. *Tr. de Virorum organis genitalibus* deſcripſit, quod illæ nimirum in ſtupenda & fere innumerabili quadam congerie minutiſſimorum vaſculorum conſiſtant, quæ ſi absque diſruptione diſſoluta ſibi invicem annecterentur, facile viginti ulnarum longitudinem excederent, in quibus dein miro quodam artificio, ſub diuturniore & ſucceſſiva ſecretione, materia ſpermatica elaboratur atque præparatur.

Th. IV.

Teſticulos excipiunt *Paraſtatæ* ſive Epididymides, quæ corpora oblonga, teretia, nonnihil depreſſa, ipſisque teſtibus impoſita ſunt, atque ſemen illud, quod, ob ſpatii anguſtiam, in teſtibus accumulari nequit, recipiunt, quod dein ulterius, ad veſiculas ſeminales mittunt, per ductum quendam craſſiorem ex aliquot vaſculis ſeminalibus conflatum, atque ad veſiculas illas protenſum, qui exinde vaſis deferentis nomen obtinet. Excipiunt hinc ſemen ipſæ hæ ſeminales veſiculæ, quæ nihil aliud ſunt, niſi capſulæ quædam membranaceæ lateraliter a poſteriori parte veſicæ poſitæ, ejusque collo & partibus adjacentibus firmiter adhærentes. Longitudinem habent trium quatuorve digitorum, latitudinem vero pollicis & craſſitiem tertiæ parti digiti fere æqualem. Deſinunt pariter utrinque in parvum aliquem ductum, qui in partem urethræ po-

ſterio-

ſteriorem deinde inſeritur, circa exitum autem horum ductuum, quos *ejaculantia vaſa* aliàs vocant, præpoſita eſt utrique oſculo exigua quædam valvula, inſtar carunculæ, quâ impeditur, ne ſemen ita jugiter in urethram emanare queat.

Th. V.

Succedunt denique *Proſtatæ*, ſive duo illa corpora globoſa utrinque immediate infra collum veſicæ, ſupra ejus ſphincterem, ad radicem penis ſita, & ſimul ſumta magnitudinem nucis juglandis referentia. Gaudent itidem ſingularibus ductibus excretoriis, qui prope *vaſa* ita dicta *ejaculantia* in urethram inſeruntur, &, ſi ſubſtantia proſtatarum comprimatur, humorem quendam albicantem, ſemini quidem non abſimilem, ſed aquoſiorem, fundunt & excernunt, ſicque verum ſemen non præparant uti reliquæ glandulæ, ſed tantum vehiculum aliquod limpidius, ad facilitandam ſeminis ejaculationem, ſubminiſtrant. De ipſo vero *pene* aut *membro* ita dicto *virili* non opus erit ut peculiarem aliquam ſubnectamus deſcriptionem, ſiquidem, cum ipſa hæc pars alioquin ſatis cognita ſit, atque ad nudam ſpermatis excretionem ſymbolum ſuum tantum conferat, exinde ne minimum emolumentum ad phyſiologicam ſpermatis conſiderationem redundat.

Th. VI.

Hac igitur ratione, cum ſufficienter perluſtrata atque deſcripta ſit ſpermatis officina, pergimus ulterius ad explicationem operationis illius, quæ communiter ibi peragi ſolet, methodum nempe genuinam demonſtrando, ſecundum quam materia ſeminalis in hiſce partibus ſecerni atque elaborari ſolet. Primarium ergo inſtrumentum pro intricato hoc actu neceſſarium utique ſunt *Teſtes*, de quibus ſatis ſuperque conſtat, quod ob mirificam & artificioſam ſuam ſtructuram & conſtitutionem unicum fere organum ſint, quo mediante ipſum ſperma a reliquis humoribus ſequeſtrari & debito modo elaborari poteſt, ſi-

qui-

quidem illorum non modo *ablatio* qualiscunque, ſterilitatem ſucceſſu temporis inducit, ſed & ſimile quid ex *læſione* eorundem externe facta ſuccedit, notante Conringio *Tract. de Calido innato cap. XXI. p. 240. 241.* Quin imo ſola etiam *refrigeratio* nimia harum partium, viros enervare ſolet, teſtimonio a militibus illis deſumto, qui, tempore autumnali per fluvios ducti, ſteriles facti ſunt, quorum mentionem facit Salmuth *Centur. III. obſerv. 91.* Propterea autem ipſis ſpecificam illam virtutem ſeminificam, ſive ita dictam facultatem σπερματοποιητικὴν abſolute tribuere non audemus, licet Galenus *lib. de Semine cap. XV.* Avicenna *lib. XV. de Animal. cap. 1.* Laurent. *lib. VII. quæſt. Anat. 3.* Vesling. *in Syntagm. Anat.* Rolfinc. *lib. de partib. generat. dicat. cap. 31.* Schenck. *Exercit. Anat. 8. lib. I. Sect. 2.* Charleton. *Exercit. phyſiol. Anat. X. T. 8.* pluresque alii illam pro unico ſecretionis hujus fundamento agnoſcant: Spiritus enim noſter vitalis jamjam facultate illa pollet, ut, ſi modo inſtrumenta legitime ſint conſtituta, propriis viribus & citra ignotæ alicujus facultatis concurſum, actum talem adminiſtrare poſſit.

Th. VII.

Laterem igitur lavant & fallaciam non cauſæ ut cauſæ committunt omnes illi, qui alias plane partes, quoad ſtructuram ſuam quam maxime inadæquatas, pro genuinis & ad elaborandum ſemen neceſſariis organis venditare ſatagunt, cum ex ipſa ſuperius deſcripta teſtium conformatione ſatis clare eluceſcat, quod præter illos vix aptior quædam pars ad præparandam ſeminis materiam inveniri queat. Sic falſa eſt Helmontii ſententia, qui *Tr. Jus Duumviratus Oper. p. 293. §. 41. 42. Lienem* tantum pro vero hujus ſecretionis organo agnovit, ſed præter Deckerum qui ipſi in *Notis ad Barbette Prax. Med. lib. IV. cap. 10.* aliquo modo aſſentiri videtur, vix plures invenit aſſeclas. Errant quoque qui *Renibus* ſimilem facultatem adſcribere intendunt, ex quorum numero

ro ſunt Sennertus, Olaus Wormius, Caſp. Hoffmannus, Meibomius, Horſtius, aliique, referente Bartholino in *Anat. reform. lib. I. cap. 17. p. 187.* eamque ob cauſam inſignem numerum argumentorum, partim ex Sacris, partim quoque ab experientia deſumtorum proferre moliuntur; ſatis enim exacte jamjam ad ea reſpondit D. D. Arnoldus Friderici *in Diſſert. ſua de Renibus Anno 1663. Jenæ habita*, ipſoque ſole meridiano clarius eſt, quod viſceris hujus actio minime in elaborando ſemine, ſed in fulciendo vaſa & ſerum a ſanguine ſegregando conſiſtat.

Th. VIII.

Eadem vero ratione, uti circa denominationem *loci*, circa explicationem *materiæ* pro ſemine conſtituendo neceſſariæ, in diverſas abierunt Doctores ſententias, ex quibus unam tantum vel alteram hic allegaſſe, ſuperfluæ prolixitatis evitandæ cauſa, ſufficiet. Sic Recentiorum quidam ipſum *chylum*, ſatis quidem crudum, ob coloris tamen albidi ſimilitudinem in ſpermate quoque obviam, pro genuina atque unica hujus humoris materia declarare voluerunt; alii vero, ex ſagacioribus Anatomicis, quos inter citatus modo Regner. de Graaff merito primum locum obtinet, *ex ſanguine arterioſo puro* atque ſpiritu vitali largiter impraegnato, ſeminis originem deducunt, vid. Tract. hujus Autoris *de Virorum Organ. genit. p. 76. 77.* Et hæc ipſa ſententia majore probabilitate nititur, quam prior, una cum reliquis antiquiorum opinionibus: Sanguis enim arterioſus cum lymphatica atque ſalivali ſubſtantia permixtus, optimum fundamentum materiale ſeminis fœcundi ſubminiſtrat, dum in abundantiori præ reliquis copia ad teſtes delatus, occaſionem ſuppeditat, ut particulæ illæ ſalivales & lymphaticæ nobiliores, intra teneriorum vaſorum præparantium ſive pampiniformium criſpaturam a ſanguineis ſecedere, &, ſub continuata ulteriore ſecretione atque ſubtiliſatione, denique perfectam ſpermatis conſiſtentiam & indolem acquirere poſſint.

Th. IX.

Th. IX.

Quod vero ſemen non niſi humor mixtus ex ſubtiliore ſubſtantia ſalivali atque lymphatica conſtituat, ſequentia inprimis evincere videntur argumenta. 1) Quia lymphaticus & ſalivalis humor eundem colorem, eandem fere conſiſtentiam cum ſpermate exhibet: 2) Ipſa quoque experientia a poſteriori teſtatur, omnes homines qui fluidis hiſce abundant, etiam ſpermatis copia gaudere, quod in illis maxime videre licet, qui ſub lautiori verſantur diæta, cibisque nonniſi probe nutrientibus & evchylis utuntur: Cum e contra 3) lymphaticæ talis ſubſtantiæ defectus, ſeminis pariter defectum inducat, teſtimonio infantum, omniumque impuberum, quorum lympha nobilior in corporis tantummodo nutrimentum & augmentum impenditur, aut adultiorum etiam, ſub laborioſo nimis vitæ genere degentium, paucisque & iisdem crudioribus alimentis ſeſe reficientium: 4) Idem quoque demonſtrant effectus ex naturali retentione, aut nimia profuſione fluidi ſpermatici provenientes, ubi prior utplurimum ad pinguefcentiam ſanguinisque abundantiam, teſtimonio animalium quorumlibet caſtratorum, multum contribuit, poſterior conſumtionem, ſtatum hecticum & maraſmum corporibus inducit, dubio procul, quod ſubſtantia lymphatica, corpori in nutrimentum ordinarie cedens, vel nimium exſuperet, vel præter modum depauperata atque exhauſta ſit.

Th. X.

Ulterius hoc quoque confirmat harmonia illa perſpicua inter partes ſalivæ, lymphæ atque ſpermatis ſecretioni dicatas, de qua pluribus egit Bartholinus *in Actis Haffnienſibus*, quamque inprimis mutuæ illæ morborum connexiones humoribus dictis innidulantium, eximie comprobant, ſiquidem ubi lympha & ſaliva totaliter ſunt depravatæ, ibi nullum ſane, vel impurum ſaltem generatur ſper-

 ma

ma ipſorumque organorum genitalium ſtructura læditur, ita ut ſteriles plane evadant homines, teſtimonio ſcorbuticorum, leproſorum, aliorumque gravioribus ejusmodi morbis laborantium. Item ubi partes ſeminis generationi dicatæ gravi quadam corruptela fermentativa corripiuntur, glandulæ etiam ſalivales & mammariæ per conſenſum ab ejusmodi labe afficiuntur, quod confirmat Lues venerea conſummata, in qua faucium glandulas ſimilis corruptio ac genitalia organa affligit; hinc etiam obſervatur, quod Gonorrhœa maligna in morbum Gallicum tranſitura, prima ſemper ſui veſtigia in maribus circa mentum ſive barbam, in fœmellis circa pectus, mammas præcipue, oſtendat. Quin imo ſub naturali quoque ſtatu itidem inſignis deprehenditur ejusmodi conſenſus, ex quo fluidorum prædictorum concurſus ad ſeminis elaborationem facili pariter negotio demonſtrari ſolet; hinc a commiſſo circa actus venereos exceſſu oculi afficiuntur protinus, dum jam intra orbitas collapſi, jam turbidi magis apparent, & circulum lividum in ambitu oſtendunt, quin & ſi enormius peccatum fuerit, ipſum etiam viſum plane periiſſe conſtat: Quandoquidem propter glandularum occularium exſiccationem, ipſorumve humorum conſumtionem aut depravationem graviorem pariter organum viſus debilitatur, & ad functionem continuandam inhabile redditur.

Th. XI.

Cumprimis autem conſenſum huncce evidentiſſime demonſtrat communio illa manifeſta inter partes ſpermaticas, ſalivales & lymphaticas, quoad functionem ipſarum ſecretoriam. Quam primum enim circa initium pubertatis ſperma in organis ſuis conſvetis generari incipit, ſtatim ipſa vox antea clara mutatur in aſperam, ob factam glandularum ſalivalium in faucibus diſtenſionem, quam copioſior hujus humoris affluxus ibi producere ſolet, unde partes illæ ſolito magis relaxantur, amplificantur, at-

que

que talem alterationem ſubeunt. Quod ipſum veteres jamajm obſervaſſe docemur ex *lib. II. Epidem. Sect. l.* ubi Hippocrates ſingularem communionem τῆς γονῆς καὶ φωνῆς adſtruit, nec non ex eo, quod, ejusmodi mutationem vocis acutæ in gravem ſubitaneam in puellis, inter virginitatis amiſſæ ſigna retulerint. Sic referunt, Albertum Magnum puellam quandam ex œnopolio vinum pro hero ſuo afferentem in itinere vitiatam deprehendiſſe, quod in reditu ſubinde cantillans mutatam habebat vocem; quo etiam ſigno forſitan uſus fuit Democritus, qui Hippocratis puellam prima die ut virginem, ſecunda vero ut fœminam ſalutavit, notante Roder. a Caſtro *in Medico Politico lib. IV. cap. 12. p. 262.*

Th. XII.

Demonſtrata ergo hac ratione proxima ſeminis materia, nunc propius ad indagationem methodi iſtius, ſecundum quam illa a reliquorum humorum conſortio ſecernitur, progrediendum. Itaque ſangvinem arterioſum particulis ſalivalibus & lymphaticis impraegnatum beneficio arteriarum ſpermaticarum excipiunt *vaſa præparantia, pampiniformia* dicta, illumque intra ſinus ſuos plexusque anfractuoſos in minimas non modo diſcerpunt particulas, ſed & a ſcoriis craſſioribus plane depurant ac ſenſim ſenſimque ad teſtes demittunt, poſtquam ſimul hac in via plus adhuc attenuata erant illa principia, quæ in teſtibus ac epididymidibus connexis deinde melius elaborantur, & calore ipſorum nativo in ſperma decoquuntur, dum ſcilicet intra partes prædictas, anguſtia loci pauliſper retardata, moras quasdam nectunt, unde particulis aquoſis exhalantibus, ſpiſſior conſiſtentia illa ſemini conciliatur. Hoc modo præparatum ſperma per vaſa deferentia ad veſiculas ſeminales defertur, in quibus tamdiu aſſervatur, donec tandem neceſſitatis tempore in urethræ oſtiolum, valvula alias occluſum amandetur, & per penem ejaculetur.

Th. XIII.

Non poſſum non quin in hac phyſiologica ſeminis virilis tractatione adhuc mentionem faciam eruditæ illius hypotheſis, quam circa hoc negotium Excellentiſſimus D. D. Rüdiger Lipſienſis, ſtudiorum meorum director ætatem colendiſſimus fovet, quando ſangvinem arterioſum pro remota quidem ſeminis materia agnoſcit, ſed proximam in humore quodam nutritio, quem, oleum medullare vocat, quærit, eumque ipſa inprimis oſſa intrare, & hæc una cum contenta medulla præcipue nutrire aſſerit, reliquum vero ſtatim denuo in maſſam ſangvineam diffundi & cum ea ipſa ad partes genitales deferri, in quibus modo jam deſcripto a ſangvine ſecernatur atque ſeminis conſiſtentiam & qualitatem acquirat. Ex quo fundamento ſtatuit porro, quod infantes, licet ſingula illa ad ſpermatis elaborationem neceſſaria vaſa & organa in ipſis adſint, talem humorum tamen intra annos pubertatis elaborare haud poſſint, cum oleum illud medullare pro impetranda oſſium perfectione, quæ ſub hac ætate adhuc deficit, impendi debeat. Unde optime eluceſcere autumat, quare caries oſſium & dolor oſteocopus in lue Gallica communiter oboriantur, quippe quæ in ſolo hoc oleo medullari depravato ſive inquinato conſiſtat, quod rodendo & corrumpendo partes illas, ejusmodi dolorem inferre valeat, & qui fiat, quod Veneri impuræ nimium litantium oſſa temporis ſucceſſu usque adeo debilitentur, ut ad ambulationem inſtituendam inepta prorſus reddantur, (Sie werden ſteiff an den Füſſen) ſiquidem per nimiam ſeminis & conſequenter olei medullaris profuſionem oſſa neceſſaria ſua humectatione privantur.

Th. XIV.

Nec ſilentio prætereundum eſt Ant. à Leeuwenhœck microſcopiorum fide convictum ſtatuere, quod ſemen virile ex magno minutiſſimorum vermiculorum ſero ina-

natantium numero conſtet, qui viventes, oblongi, caudati & ſexu diſtincti appareant, quorum unus alterve ad uterum delatus, hujus adhæreret fundo, & formationi fœtus futuri inſerviret, reliquis interea citra ullum aliquem effectum denuo elabentibus. Vid. in *Anatom. Rer. Microſcop. ope detect. p. 8. 81. 155. & 176.* Cui obſervationi ſi fides habenda, probabile eſt, hæc animalcula hominis rudimenta continere, quemadmodum alias rudimentum illud fibroſum in ovis ſive prima pulli carina, ſubſtantia ejusmodi animata a Malpighio ſtatuitur, ex qua ille naſceretur.

Th. XV.

Spermatis porro ſecretionem ſive generationem certis temporum limitibus alligatam & circum ſcriptam eſſe experientia ipſa ſufficienter teſtatur, ſiquidem pueri ante completos pubertatis annos, nunquam, & ſenes ultra ſeptuageſimum ætatis annum provecti, raro ad elaborantum ſemen fœcundum habiles deprehenduntur, ob materiæ nobilioris lymphaticæ defectum plenarium, aut inertiam notabilem, quæ his ætatibus vel in alios uſus impenditur, vel propter caloris naturalis viriumque conſumtionem ingentem, plane non elaboratur, eaquepropter impuberes & ſenes effœti ſecundum naturam ſteriles judicantur, quoniam, præſentibus licet organis genitalibus, materiale fundamentum tam ad efficaciter coeundum quam ad generandum deficit; utcunque Olearius in Itinerario Perſico perhibeat, undecim vel duodecim annorum pueros in Perſia uxores ducere ſobolemque generare, cujus aſſerti fides ſit penes autorem. Quod ſi vero in noſtris terris aliquando contigerit, hodieve contingat, potentiam generandi debitam antevertere ætatem, id quidem inter raro contingentia ponendum prætereaque firmiſſime tenendum eſt, omnimodam impotentiam & ſterilitatem præmaturam ejusmodi Venerem exceptuream, id quod præter alios plures Heinricus ab Heer *Obſervat. X.* confirmat exemplo nobilis cujusdam viri, qui

per

per totam ſuam vitam impotens evaſerit, poſtquam vix decennalis puer ad ejusmodi congreſſus a nonnullis ſalacioribus juvenculis ſeductus fuerat, confer. Conring. *lib. de habit. Corpor. German. cauſis p. 40.* Licet etiam proſtent exempla ſenum, qui grandævi generationis actum exercuerunt, numoroſamque proſeminarunt prolem, quos inter primum forte locum ſibi vendicat ſenex ille, cujus D. Hobockenus in *ſpicilegio ſuo Epiſtol. 13. p. 166.* mentionem facit, cui octogenario majori intra paucorum noviſſime elapſorum annorum ſpatium, uxor quinque liberos peperit, imo tunc temporis, quo citatus autor hoc ſcripſit, ſextum etiam utero geſſit: Attamen hoc prædictis fidem derogare haud poterit, quandoquidem extraordinaria in phyſiologia Medica non attenduntur.

Th. XVI.

Circa uſum denique materiæ ſeminalis parum vel nihil monendum eſſe duco, cum ex hactenus prolatis ſufficienter jam pateat, ſoli generationis actui nobiliſſimo illam deſtinari, hancque ob cauſam non ſolum tam aſſidue elaborari, ſed tanta quoque cum cura in partibus deſcriptis aſſervari. Unicum vero adhuc tenendum eſt, quod in ſtatu naturali, ſi fortaſſe ob diætæ rationem aliamve cauſam major ſpermatis copia generetur, quam principium vitale noſtrum conſumere & actui huic impendere valeat, abundans & ſuperflua quantitas iſta per vaſa ſpermatica ex teſtibus ad maſſam ſangvineam remeet, ibique in alios neceſſarios uſus impendatur. Ex quibus nunc ultro liquet, quod ſemen virile ſit humor albicans, craſſiuſculus ſub viſcidusque particulis ſpirituoſis lymphaticisque ſubtilioribus conſtans, in teſticulis elaboratus, in paraſtatis & vaſis deferentibus ad perfectionem redactus, in veſiculas ſeminales depoſitus, & ad fœtus generationem unice deſtinatus.

PARS

PARS II.

SEMEN POTIORIS SEXVS IN STATV PATHOLOGICO EXAMINAT.

Th. I.

CUm nihil ſit omni ex parte beatum, atque experientia ipſa ſatis clare demonſtret, humores ſingulos, etiam laudabiliſſimos, ſuis laborare vitiis, atque turpiſſimos haud raro producere morbos; utique id ipſum de ſemine genitali fateri cogimur, quod etiamſi ex nobiliſſimis ſanguinis arterioſi particulis præparatur, inque vaſis ſuis propriis ſumma cum induſtria depuratur ac conſervatur, ſæpe tamen fomitem multorum malorum conſtituat, & graviſſimorum morborum autor exiſtat, de quibus & quidem frequentioribus, propterea adhuc pauca in medium proferre placet, ut variorum affectuum ratio a ſpermate vitiato originem ducentium eo melius conſtare poſſit.

Th. II.

Triplici autem modo liquor ille genitalis affectus præternaturales producere ſolet, ſi nimirum vel quoad *exceſſum*, vel quoad *defectum*, vel quoad *conſiſtentiam* ſive *qualitatem* peccaverit. Sic nimia ſeminis abundantia, ſi præprimis juxta ſuperius allegatam methodum & naturalem ordinem non denuo intra maſſam ſanguineam reſorbeatur, & in corporis nutritionem cedat, aut prævia attenuatione per tranſpirationem inſenſibilem evaporet, univerſalem corporis languorem producit, atque ſubjecta talia ad ſuſcipiendos motus voluntarios plane inepta reddit, judicii vim ingeniique vigorem turbat & obſuſcat, ſpeciatim illos qui ſub lautiori diæta viventes cœlibem deſidemque agunt vitam ad cogitationes laſcivas involuntario oborientes, diſponit, quæ ſucceſſu temporis in actuales

ſuperflui ſpermatis ventilationes degenerant, & *pollutiones nocturnas* efficiunt, ex quibus vero neglectis, *Gonorrhœæ benignæ* tandem, aliaque graviora mala propullulare ſolent.

Th. III.

Mala ex defectu ſeminis præternaturali oborta altioris ſunt conſiderationis, ipſisque medicis plus negotii communiter faceſſunt. *Sterilitas* enim *virilis*, ſive impotentia generandi primario hinc dependet, quam innumera alia & in moralibus & vitalibus incommoda poſtea ſequuntur, de quibus tanquam rebus notiſſimis plura verba facere nec lubet, nec ob chartæ anguſtiam licet, cumprimis quia novi, quod jam olim D. D. Krauſius *in Diſſertatione de Frigidis*, *Jenæ Anno* 1674. habita, hanc materiam ſufficienter pertractaverit.

Th. IV.

Morborum ex depravata conſiſtentia ſeminis originem trahentium, pro varia depravationis ſpecie, varioque ſpeciei gradu, in pathologia varii numerantur: Sic ſemen aquoſius atque particulis ſpirituoſis lymphaticisque ſubtilioribus deſtitutum, æque ac plenarius ejusdem defectus *ſterilitatem*, aut minimum, coeundi impotentiam, producit, eaque ipſa quoque a ſpiſſiore atque viſcidiore ſemine metuenda. Quod ſi vero ab externo quodam miaſmate impuro inquinata fuerit materia ſpermatica, ita ut per obortam fermentativam corruptionem ad diſſolutionem & colliquationem tendat, tunc ſane maligni producuntur morbi, *Gonorrhœa* nempe *Virulenta*, & ſordidiſſima *Lues venerea*, una cum *bubonum*, *nodorum* & *verrucarum* caterva, de quibus alia D. V. occaſione plura.

Th. V.

Cæterum ſatis quoque ingenioſa eſt deductio clariſſimi noſtri Rüdigeri, qui præter hactenus recenſitos morbos, alios quoque ex ſpermatis inprimis abundantia ori-

ri demonſtrat, quales ſunt *Variolæ*, *Morbilli*, *Tinea*, *Achores*, *Aphthæ*, *Parotides* aliique infantum & puerorum morbi, quos tunc temporis maxime affligere autumat, quando circa annum 12. vel 14. nutritio & augmentatio corporis paulo ſegnius ſuccedere incipit, & exinde materia ſpermatica inſigniter aucta, ob teneram ætatem, commode ventilari aut imminui nequit, unde ad alias partes glandulosas & ſubcutaneas deponitur, ut ſub ejusmodi ulcuſculorum forma ejiciatur. Inprimis autem de variolis monet, quod illæ in tenerrimis utcunque puſionibus [ex] materia ſeminali abundantiore producantur, & quidem tali ordine, ut *confluentes* non niſi ex humore proſtatarum tenuiore, in quantitate excedente, *diſcretæ* vero ex ipſo ſemine in teſtibus elaborato, atque hinc per univerſam ſanguinis maſſam diffuſo originem capiant, quia prior ille liquor communiter in quantitate facilius excedere ſoleat, quam verum atque perfectum ſemen: Et ea propter etiam ipſum morbum venereum non in veſiculis ſeminalibus, ſed in liquore proſtatarum primitus oriri aſſeverat. Quarum ut & reliquarum ſpecialiorum circa hanc materiam hypotheſium ulteriorem examinationem B. L. æquo judicio relinquo.

T A N T V M.

S. D. G.

JAm meditare fugam, labes triſtiſſima *Morbi*,
Cervicique vagæ vincula poſce lubens!
Sat necibus datum! ſunt jam repleta ſepulchra
Denſis, quæ, numeris tellus ubique gravant.

Exi-

Exitiale caput minime jactabis in auras,
Nec pede funeſto languida colla premes.
En! aderit vindex, qui franget noxia tela,
Intrepidaque manu caſtra nefanda petet.
Nil quartana lues; nil perimens corpora cançer;
Nil Vomicæ putres, nil gelidusque pallor;
Denique, nil Peſtis, ſævo violenta veneno;
Fœtida nil ſcabies efficere poterit.
TRAVSCHKIVS, nam, doctus depellit agmina dira,
Hoſtilemque fugat, Marte favente, manum.
Inde decus rutilans ſtudiis victricibus addit,
Et viridi lauro cingit Hygea caput.
Hanc laudem grator, grator Virtutis honores.
Et TIBI felices ſint maneantque, precor!

Ita

Nobiliſſimo atque Clariſſimo Dn. Doctorando *de conſecutis eximiis Medicinæ honoribus, feſtinante calamo, gratulari voluit,*

ANDREAS ELIAS Büchner/
M. Philoſoph. & Medic. Doct.
Pract. Erfurt.